



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

Feria V in Cæna Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

MOBILIA. 15

randam est) citius in æternâ regione
 amoris, lucis, & pacis constituas:
 ut ibi te amet, ac pro me oret; ut in
 amore infinitè amabilis Dei mei
 cresciam quotidie. Miserere mei æ-
 ternum, ô Rex æternæ gloriæ, qui
 verè pœnitentibus pro cinere das
 coronam.

FERIA V IN CÆNA DOMINI.

Prostratus coram te, ad Judæ
 pedes prostrato, adoro, & exosculor
 divinas illas tuas manus; meum-
 que cor ad Joannis, aliorumque A-
 postolorum pedes, à te lavandos,
 abjicio, ut illud abluas; & deinde
 Eucharistico tuo epulo saties, ô
 Auctor admirabilis illius Sacra-
 menti! Gratias tuo amoris, pro illo
 mysterio fidei nostræ, pignore spei
 nostræ, Sacramento charitatis æ-
 ternæ. Tu te totum in illo mihi
 das, cum corpore, animâ, & divini-
 tate. Da, ut ego vicissim totum cor,
 totum corpus & animam, & ma-
 nus, & pedes, & oculos, & quicquid
 sum, reddam tibi, qui aliàs tuus
 sum: ut omnes facultates corporis
 & animæ meæ, nihil agant aliud,
 quàm quod tu vis. Age in corpore
 meo, in animâ meâ, (ut domum
 tuam

tuam ingressus) quicquid vis: dispone in me de me, de oculis meis, de corde, ac omnibus occupationibus meis, prout vis: illas ego tuæ gloriæ & amoris dedico universas, ac, tuo sanguine imbutas, volo utque quaque pendere è tui amoris directione, amissi, atque imperio: donoque illas illi animæ, è purgatorio liberandæ, quam tu vis.

FERIA VI MAJORIS HEBDOMADÆ.

Salve JESU Nazarene, Rex Judæorum, Monarcha æternitatis! *Vespere* pedes lavans, orans, sanguinem sudans, capte, vincte; *nocte* illâ apud Annam, & Caipham; *manè factò*, in aulis Pilati, ac Herodis, accusate, percusse, illuse, flagris concise, spinis coronate; *horâ sextâ* crucifixe; per *tres horas* pendens, & Sole obscurato, Patrem, Matrem, Joannem, conversum latronem, allocute; *horâ nonâ* cum voce magnâ clamans, & expirans; *serò* de Cruce deposite, ac sepulte. Et hæc omnia pro me ingrato! Ecce vespertinas, nocturnas, matutinas, postmeridianas horas omnes, tuo sanguine, tuis cruciatibus, implevisti mihi; ut nulla hora sit, quâ aliquid